FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Alte Drucke

ENCHIRIDION || CHRISTIANAE INSTITV-||tionis in Concilio prouinciali Colo-||niensi editum, opus omnibus ve-||ræ pietatis cultoribus lon-||ge ...

Gropper, Johann

Parisiis, 1550

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150244

Visual Library

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

QVVM in baptismo nõ solùm omne peccatum tam originale q̃ actuale remittatur, sed & spiritus sanctus in nouã nos regenerans creaturam, detur, qui & concupiscentiæ fomitẽ (id est appetitus inordinationẽ & naturæ corruptæ imbecillitatẽ, quæ in nobis post baptismũ reliqua est) sic attenuat, vt ea nobis, nisi rursus peccato assentiamur, nocere nõ possit: cõsequens est, vt si cõtinuo ex hoc seculo post receptũ baptismum nobis migrãdum foret, solus ipse baptismus sufficeret, & regeneratio p se saluaret, mox i pace beati seculi recipiẽdos. Qui enim post baptismũ cum acquisita innocentia immaculatus peruenit ad mortẽ, ipsa morte confirmatur, ꝓ non possit peccare post mortem. Iam vero quum nos post trãsitum mare rubrum, vastũ huius mundi desertũ ingredi, ac cum hostibus & internis & externis, priusq̃ ad terrã repromissionis peruenimus, sine intermissione dimicare oporteat, nempe carne, mundo, & diabolo, quorũ impetus tantus est, vt nemo securè glorietur se in hoc corpore peccati sine peccato esse posse, ꝓ humanæ cupiditates & veteris peccati reliquiæ in sinu nostro latentes, rebellionem aduersus spiritum mouere nunq̃ cessant: Mundus quoque nos adhuc mortali corpore onustos omnibus machinis oppugnat, deniq; diabolus mille artifex tanquam leo rugiens semper circuit, quærens quem deuoret: vt meritò quis hanc initurus luctã grauiter terreatur, nisi interim agnoscat Christũ redemptorem (qui carnem domuit, mundum vicit, ac diabolum mundi principẽ foras eiecit) aduersus hosce insultus alia parata remedia, quibus luctantibus nobis subueniret, reliquisse, vt non in virtutibus nostris, sed in eo faciamus virtutẽ. In Exodo legimus, filios Israël ex Aegypto per mare rubrum iam egressos, deuictis ac submersis etiamnum hostibus (flauit enim spiritus Dei, & operuit eos mare) tum maximè fuisse compluribus aliis confortatos sacramentis.

Amb. lib. de myste. init. c. 3.
Tit. 3.
Vide Ber. in ser. habito in die cœnæ domini de baptismo.
Roma. 8.
Ex decret. Melchia. papæ.
Dimicandum nobis tota vita cum tribus hostibus.
Roma. 7.
1 Ioan. 1.
Galat. 5.
Mundus.
Diabolus.
1. Petr. 5.
1. Petr. 4.
Ioan. 16.
Ioan. 12.
Psal. 59.
Exod. 15.

In primis expansione nubis, in protectionem eorum, & ignis, vt luceret eis per noctem: deinde alitione panis cœlestis, & bibitione aquæ, quam percussa dedit petra.

Colũna nubis, ignis.
Psal. 140.

Ad eundem modum Christus (qui vetetis legis typos im-

Matt. 11. pleuit) post baptismum pleraq; alia spiritus sancti munera, ac gratiarũ dona nobis reliquit, quibus nos per baptismũ resur
Ephe. 4. gentes & erectos sustentaret cõfirmarétque, ne ab hostiũ impetu nos rursus impetente succũbamus, quæ sunt cætera ecclesiæ sacramenta, in primis verò Cõfirmatio & Eucharistia.

Ex decre. Melchiadis. Tit. 3. De cõfirmatione nunc dicendum est. In baptismo, filij dei renascimur, & cœlestis hæreditatis ꝓmissionem accipimus: sed vt hanc retineamus, pupillis tutore est opus. Quare non
1. Cor. 12. satis visum est Christo, in baptismo nobis impartiri spiritũ innouantem, nisi & per confirmationis sacramentum largiretur spiritum tuentem ac defendentem, qui tamen nõ alius, sed idem est spiritus in baptismo datus, alius tantum atque alius secundum diuersas gratiarum donationes & charismata. Nam quatenus in confirmatione datur, paracletus est, qui
Ioan. 16. regeneratis in Christo, & custos consolator & tutor est. Ergo spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte pulchritudinem tribuit ad innocentiam: in confirmatione augmentum præstat ad gratiam, quia in hoc mundo tota ætate victuris, inter inuisibiles hostes & pericula gradiendum est: quamobrem alia atque alia specie subinde visus est.

Cur spiritus sanctus alia atque alia specie subinde visus sit. In baptismo, in specie columbæ descendit, innocentiã (in quam regenerat) testatus. In die vero Pentecostes, in discipulos in linguis igneis illapsus est, quibus Apostoli intrepidi loquerentur magnalia Dei.

Itaque in baptismo regeneramur ad vitã, post baptismum confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur, post baptismum roboramur: in baptismo in milites Christi recipimur
Matt. 3. ac signamur in cõfirmatione ad agones & prælia mundi huius reseruandi, armis competentibus instruimur pugnaturi.
Marc. 1. Lucæ. 3. Actio. 2. VTrunq; ergo magnum est sacramentum, & quãuis alterum alteri admodum cõiunctum sit, tamen in Euangelicis & Apostolicis literis sic discernuntur, vt non vnum, sed duo planè appareant sacramenta. Postq̃ enim Christus in vltima cœna apostolis pedes lauisset, & dixisset: Qui lotus est,
Ioan. 13. non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos
Ioan. 5. mundi estis. tãdem post multa subiecit: Quum autem venerit paracletus, quem ego mittã vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre ꝓcedit, ille testimonium perhibebit de me, &
Ioan. 16. vos testimoniũ perhibebitis. Et iterum: Adhuc multa habeo

vobis

vobis dicere, sed nõ potestis portare modo, quum autem venerit spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Deinde post resurrectionem, quanuis dñs insufflasset in apostolos, dicens: Accipite spiritum sanctum: tamen iam in cœlum ascẽsurus, aliud donum apostolis & per apostolos, omnibus regeneratis pollicitus est: Ego (inquit) mittam promissum patris mei in vos: vos autem sedete in ciuitate, quoadusq; induamini virtute ex alto. Et iterũ: Accipietis virtutem spiritus sancti superuenientis in vos, & eritis mihi testes in Hierusalẽ, & in omni Iudæa & Samaria, & vsq; ad vltimũ terræ: quam pmissionem, postea in signo visibili in die Pentecostes euidẽtissimè præstitit, vt quod in apostolis semel in forma sensibili factũ esse cernimus, in nobis per sacramentũ cõfirmationis fieri minimè ambigeremus. Nam quod in primitiua ecclesia, spiritus sancti descensio in credentium populos donauit vniuersis, hoc in cõfirmandis neophytis impositio manus episcoporum tribuit singulis, vnicuiq; tamen secundum mẽsuram donationis Christi. Alioqui Christus verè diuinum illum sermonem in cœna habitum (quo toties paracletum pollicetur) finiens, frustra orasset in hunc modum: Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, &c.

Ioan. 20

Luc. 24.

Acto. 1.

Chrysost. de cõs. dist. 5. c. nouissimè.

Ephe. 4.

Ioan. 13. 14. 15. 16.

Ioan. 17.

QVod vt manifestius fiat, saltem duo apertissima scripturæ testimonia tuenda sunt. Actorũ 8. sic legimus: Quum autem audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, ꝙ recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui quum venissent, orauerunt pro ipsis vt acciperent spiritum sanctum, nondum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine domini Iesu: tunc imponebant manus super illos, & accipiebant spiritum sanctum, etiã in signo visibili. Sequitur enim Simonem Magum vidisse, quia per impositionẽ manus apostolorum daretur spiritus sanctus. Item Acto. 19. His auditis baptizati sunt in nomine domini nostri Iesu: & quum imposuisset illis manus Paulus, venit spiritus sanctus super eos, & prophetabãt. Quos ambos locos omnes catholici scriptores ad sacramentum confirmationis referunt.

Testimonia scripturæ pro hoc sacramento.

Acto. 8.

HIc si quis requirat, quid profuerit apostolis aduentus Spiritus sancti post ascẽsionem Christi, quem & prius

Cur Christus, post ascen. mi-

ſerit Spiritũſanctum apoſtolis quẽ prius dedit.

acceperunt: ex Euangelio reſpondetur, quoniam profuit ad robur virtutis, qua induti ſunt ex alto. Docuerunt certè nos Apoſtoli, quanta ſit infirmitas noſtra, & quãto ſpiritus profectu etiam poſt baptiſmum indigeamns. Petrus Apoſtolorum princeps Chriſtum vidit, gloriam eius in monte guſtauit, vocem patris audiuit, mira opera ſuis oculis cõſpexit: ipſe quoq; miracula fecit, ſuper aquas pedibus ambulauit, cum domino familiariſſimè cõuerſabatur: vbi à domino locus eſſet, & mũdus pronunciatus, ſe paratũ & in carcerem & in mortem cum eo ire adſerebat. Sed quid factum eſt? Ad vocem ancillę territus, ſtatim negauit. Venit alia ancilla, & iterũ negauit. Quomodo Petrus ſtetiſſet coram regibus & principibus, qui corã mulieribus ſtare non potuit? Quinimo, poſt reſurrectionem viſo etiamnum Chriſto, ac larga conſolatione recepta ſimul cũ cæteris Apoſtolis, propter metum Iudæorũ latebat, atque adeò vbi cum cæteris Chriſtum tam glorioſè aſcendentẽ vidiſſet, & angelorũ viſione, conſolationéq; confortatus eſſet, in publicũ tamen prodire non audebat, ſed expectabat promiſſum patris, Spiritũ ſanctum. Quum primũ vero hic aduenit, tunc ipſe ſtatim ſimul & cæteri Apoſtoli, magna fiducia loqui cœperunt, virtutéque magna teſtimoniũ reſurrectionis Chriſti reddiderunt, atque adeò principes ſacerdotũ & reges huius mundi non timuerunt, vt gloriarentur etiã in tribulationibus, & irent à conſpectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.

Luc.24. Matt.17. Marci.9. 1.Petr.1. Matt.14. Ioan.13. Matt.26. Marc.14 Lucæ.22. Ioan.18. Ioan.20. Act.1.2. Acto. 4. Acto.5.

Quid agatur in ſacramento confirmationis.

HOc ergo in ſacramento confirmationis agitur, vt Spiritum ſanctum, quem in baptiſmo ad purificationem & emundationẽ accepimus, ad robur quoque & augmentũ virtutis capiamus, quo aduerſus peccatorũ, mundi, & diaboli inſultus confirmemur, & facti intrepidi, nullis perturbationibus frangi, nullis tribulationibus ſuccumbere, nullis denique terroribus ac cruciatibus à Chriſto ſeparari valeamus, affectantes cũ Paulo dicere: Mihi autẽ abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mũdus crucifixus eſt, & ego mundo. Hoc ſpiritus ſancti robur, eſt illa charitas Dei, quę diffunditur in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctũ qui nos certos facit, quia neque mors, neq; vita, neq; angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quam gratiam quum

Galat. 6. Roman.5. Roma.8.

Chriſto

Christo visum sit, sanctis Apostolis suis signo quodam visibili supra modum illustri impartiri, quanto magis necesse erat, vt eadem nobis tanto infirmioribus, signo quopiam visibili, ad confirmandam in nobis verbi fidem traderetur.

VErbum quo hoc sacramentũ traditur, hoc est: Signo te signo crucis, & cõfirmo te chrismate salutis, in nomine patris & filij & Spiritus sancti: Promissionẽ, cui hoc verbum innititur, & ex qua eruitur, suprà retulimus. *Verbũ huius sacramenti.*

MAteria verò huius sacramẽti, chrisma est, quod manu Episcopi in frontẽ cõfirmãdi illinitur. In ecclesia dei triplex oleũ in die cœnæ Domini per episcopos cõsecratur, Oleũ infirmorum, oleũ catechumenorũ, & chrisma, quod ex oleo oliuæ & balsamo componitur, idque non absque insigni mysterio. Nec putandum est, nouam esse sacri chrismatis inuentionem, quũ ex Dionysio, Clemente, Fabiano, Tertulliano, Cypriano, Hieronymo, Augustino, cęterisq; catholicis scriptoribus, chrismatis consecrationem nos ab Apostolis recepisse, eandémque non tantum in Romana, sed per totam ecclesiam catholicam receptã esse, dicere ac videre est. Quanquã enim veteris legis cęremoniæ, Christo illucescẽte, euanuerint, vnctionis tamẽ mysterium religio Christiana non contempsit, sed potius quod regibus & sacerdotibus eius tantum gentis, vnde Christus erat venturus, peculiare esse cõsueuit, in omnẽ populum catholicũ propagatum est, vt sicut Christus à chrismate dictus est, eo quòd singularis excellẽtię oleo, hoc est Spiritu sancto, præ participibus suis vnxerit eũ Deus: ita & participes eius, quotquot sunt, cõfortes sint tam actionis quàm nominis, & dicantur à Christo Christiani, vt sint sui, Christo duce, rectores & duces, & offerant Deo spiritualia sacrificia, ordinati à Deo sanctimoniæ sacerdotes, quemadmodum Petrus omnes Christianos appellans: Vos (inquit) estis genus electum, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis. Vnctio ergo chrismatis exterior, vnctionem Spiritus sancti interiorem significat, quam accipimus à Christo, quæ docet nos de omnibus. *Materia chrismatis* *Cyprianus* *Aug. in Psal. 178.* *Inn. 3. de sac. vnc. c. cum venisset par. vnde in ve.* *Acto. 11.* *1. Pet. 2.* *Innoc. 3.* *1. Ioan. 1.*

IAm quòd ecclesiæ hostes chrismati suum honorem detrahere cõtendũt, eo quòd in Actis apostolicis nõ legamus, apostolos in cõfirmãdis baptizatis chrismate vsos fuisse, sed tantũ manuũ impositione & oratione, id illi suo more faciunt, degeneres filij, ecclesiam matrem, veritatis columnã, *Hæretici chrismati suũ honorẽ detrahere contendunt, sed frustra.*

1. Tim. 3. mendacem facere cupiẽtes, quę asseuerat per Apostolos chrismatis consecrationem nobis commẽdatam, sed superat illa
Matt. 16. & superabit, perpetuò quòd nec portæ inferi præualebũt aduersus eam. Vis autem scire, cur neque Christus Apostolos, neque Apostoli in primis ecclesię primordiis, populos cõfirmandos chrismate vnxisse legãtur? animaduerte chrismatis exteriori inunctione (quæ denotaret inuisibilem Spiritus
Act. 8. 10 sancti vnctionẽ) tantisper nõ fuisse opus, quãtisper Spiritus sanctus signo visibili descendit in cõfirmatos, quod per ipo sitionem manuum Apostolorum in primis illis ecclesiæ crepundiis factũ legimus: postea verò dilata ecclesia Dei, cùm signo illo visibili diuersitatis linguarũ opus nõ esset ãplius, Spiritu sancto roborandi, ac cõfirmãdi chrismate sunt inunc-
Lib. 2. contra literas Petiliani. c. 104. ti, vt & ipsi signo externo admonerẽtur, excitarentúrque ad mysterij interioris fidem & cõtemplationem, quãdoquidem beatus Augustinus ait: Sacramentum chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum esse, sicut ipse
De baptis. cõtra Donat. ca. 16. baptismus est. Neque enim (vt idem alibi ait) temporalibus & sensibilibus miraculis attestantibus, per manus impositio-
Ibidem. nem modò datur Spiritus sanctus, sicut anteà dabatur ad commendationẽ rudis fidei & ecclesiæ primordia dilatãda.

QVis enim núc hoc expectat, vt hi, quibus manus ad accipendũ spiritum sanctũ imponitur, repente incipiant linguis loqui? sed inuisibiliter & latẽter intelligit per vinculũ pacis, eorũ cordibus diuina charitas ĩspirari, vt pos-
Roma. 5. sint dicere: Quoniã charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis. Opponendus est ergo æmulis nostris, vniuersalis cõsensus ecclesię omniũ temporũ, vti certissimum testimoniũ, quòd hæc ordinatio
Ire. lib. 4. contra hæres. ca. 63. sit Apostolica, maximè quum vel vno eodemque tẽpore, idque non multo post Apostolorũ decessum, per omnes fermè ecclesias, vti apostolica, custodita cõprobatur: Sic enim habet
Ex Decretis Fabia. Fabianus: Hæc (nimirũ chrismatis annuam cõsecrationẽ, renouationem, & veteris cõfirmationem significans) à sanctis Apostolis & successoribus eorũ accepimus, vobisque tenẽda mãdamus. Hæc sancta Romana ecclesia & Antiochena à tẽpore Apostolorum custodit: Hęc Hierosolymorũ & Ephesianorũ tenet, in quibus Apostoli præsidẽtes hæc docuerũt.

Chrisma aliter ĩ ba- NEc hic prætereundũ est, quòd chrisma aliter in baptismo, aliter in cõfirmatione datur. Signatur enim bapti-

zatus

zatus chrismate per sacerdotem in capitis vertice: per pōti ficem vero in fronte, vt in priori vnctione significetur spiritus sancti super ipsum descēsio, ad habitationē Deo cōsecrādam. In secunda vero, vt eiusdem spiritus sancti septiformis gratia, cū omni plenitudine sanctitatis & scientiæ & virtutis in hominem venire declaretur, quòd orationes, quę circa vtranque recitantur, satis indicant. In cōfirmatione sic inter alia orat Episcopus super cōfirmandū. Immitte in eū Spiritum sanctum tuum septiformis gratiæ tuæ, paracletum de cœlis, spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilij & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis, & imple eum spiritu timoris tui, & signa eum signaculo sanctæ crucis propitiatus, & Spiritum sanctum non amittat in vitam æternam. Quamobrem Dionysius hoc sacramentū ab apostolis vocatum esse Teloten testatur, id est, perfectionem & absolutionem virtutis spiritualis.

ptismo, aliter in confir. datur.

Oratio episcopi super confirmandum.

Hic obiter se offert locꝰ de donis spiritus: Sapiētia (quæ donum est Spiritus sancti) in cognitione & delectatione summi boni, id est Dei, sita est, quam beatus Augu. Theosebian, id est cultum Dei, appellat: quia vacat ac studet Deo, & fertur in Deum, syncero affectu totam fiduciam ac spē in illum transferēs, ipsumque ex toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute diligens: prēterea nihil amans aut colēs, nisi Dei causa, omnia ad illius gloriam referens. Quo fit, vt nihil nisi Deum suscipiat, ac omnia quæ in mundo sunt, prę Deo, tanquam stercora cōtemnat, vt Christum lucrifaciat: quæ sapientia plena est cœlestis suauitatis. Hæc est quæ desursum descendit à patre luminū, donū Spiritus sancti, quę neque naturæ beneficio, neque humana ratiocinatione aut studio acquiritur, sed ab illo illustrāte datur, de quo scriptū est: Omnis sapientia à Deo est. Quare, quemadmodum diuus Iacobus monet, Si quis indiget sapiētia, postulet à Deo, & dabitur ei. Huic opposita est sapientia huius mundi, quā diuus Iacobus, terrenam: animalem, ac diabolicam appellat, nimirum propter finem in quem intēdit, qualis erat philosophorum sapientia, qui licet ratiocinando, qualemqualē Dei cognitionem essent assequuti, non tamen Deum sicut Deū glorificauerunt, non fide, spe & charitate Deum coluerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, sibi tantū placentes, & suam, non Dei gloriam, non ęternam, sed terrenam com-

Sapientia in quo cōsistat.

Augu. inEnch. c. 1.

Philip. 3.

Am. li. 3 offic. ca. 1

Iacobi. 3.

Ecclesi. 1.

Iaco. 1.

Iaco. 3.

Roma. 1.

Coloss. 2.

modítatem quærentes, imò in ſapientia, quin potius aſtutiã
1.Cor.1. & viribus ſuis, tanquam in idolo quodam, ſpem ſuam collo-
cantes, quibus inſultat Apoſtolus dicẽs: Vbi ſapiens, vbi ſcri
1.Cor.3. ba, vbi conquiſitor huius ſeculi? Nónne ſtultam fecit Deus
ſapientiam huius mundi? Et iterum: Sapientia huius mundi,
ſtultitia eſt apud Deum.

Matt.13. INtellectus ſecundum donum, in agnitione conſiſtit, ſicut
Marc.4. præcedens donum in cõtẽplatione. Chriſtus in Euangelio
Luc.8. ad diſcipulos ait: Vobis datum eſt noſſe myſteriũ regni, illis
Ioan.12. autem qui foris ſunt, omnia in parabolis fiunt, vt videntes vi
Eſa.6. deant & nõ videãt, & audiẽtes audiant & nõ intelligant. Itẽ,
Act.28 Cõfiteor tibi pater domine cœli & terræ, quia abſcõdiſti hęc
Roma.11. à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Hoc do
Matt.11. no, noui & veteris teſtamenti ſcripturæ ſyncerè & rectè in-
Lucæ.24 telligũtur, proindéq; hoc dono Chriſtus illuſtrauit mẽtes di
Apo.3. ſcipulorũ, vt intelligerent quę de ipſo erãt, aperiẽs illis ſcri-
Eſa.26. pturas. Neq; enim aliter vnquã eas intelligemus, niſi ille qui
Hiere.31 ſolus aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit, nobis re
Ioan.6. uelet. Oportet enim nos omnes à Deo doceri & Theodida-
Pſal.118 ctos eſſe: quod ſentiẽs Dauid, dominũ orat: Da mihi (inquit)
intellectũ, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiã illam in toto
corde meo. Hoc dono cæci Iudæi carent, qui exteriori literę
1.Cor.3. legis ſunt affixi, ſuper quorũm oculos velamen poſitum eſt,
2.Pet.3. vt non poſſint intendere in faciem Moyſi. Hoc dono hęreti
ci vacãt, qui Paulinas epiſtolas (in quibus ſunt quædã diffici
lia) indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cęteras ſcripturas
Hieron. ad ſuam ipſorum perditionem. Hoc donũ Ariſtoteles, quan-
ad Paul. tumuis magni, ſed humani intellectus philoſophus, neſciuit,
& facundus Demoſthenes ignorauit. Breuiter, quotquot ani
Roma.8. males ſunt, qui non percipiunt ea quæ ſint ſpiritus Dei. Stul
titia enim eſt illis, & non poſſunt intelligere. Soli vero ſpiri
tuales, quibus Deus impartitur, hoc donũ habent, quemad-
1.Cor.2. modum Paulus ait: Nos autem ſenſum Chriſti habemus.

Grego.1 mora. IVnguntur autem hæc ambo dona, quòd minor ſit ſapiẽtia
ſi intellectu careat, & valde inutilis ſit intellectus, ſi ſapiẽ-
tia non ſubſiſtat. Quid enim prodeſt habere prophetiam
1.Cor.13 & noſſe omnia myſteria, ſi charitas Dei in qua verus Dei
cultus, id eſt ſapientia, conſiſtit, non habeatur?

Cõſiliũ in quo ſitũ. TErtium donum ſpiritus eſt, cõſilium. Duo priora dona
in contemplatione & agnitione ſita ſunt, quæ rectè ſe-

quitur

quitur consilium, quod consistit in iudicãdo & amplectẽdo. Hoc dono confertur bona voluntas Deũ colendi & bene operandi, per sapiẽtiam gustamus, per intellectum videmus, per cõsiliũ iudicamus, quia suauis est dominus, & quod proinde beatus est vir qui sperat in eo. Postquam ergo Dei aliquam suauitatem degustauimus, & aliquem cognitionẽ accepimus, orandum nobis est vt volũtatẽ etiam ad seruiendũ Deo capiamus. Nã nisi hæc adsit, nihil certè proderit operũ externorum facies, quantumuis in speciem bona, quia Deus intuetur cor & spontaneam voluntatẽ, quod Christus apud Matth. in bonis operibus insignioribus, nempe ieiunio, eleemosyna & oratione, diuinissimè explicat. Hoc est donũ quo audemus dicere: Volũtariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniã bonum est. Nam & si distribuero in cibos pauperũ oẽs facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, tamen si non prius statuero in corde meo, hoc bonum esse coram Deo, & sponte fecero propter Deum, nihil mihi prodest. Propter ea Apostolus dixit: Vnusquisq; prout destinauit ĩ corde suo, nõ ex tristitia aut ex necessitate: nã Spiritus sanctus, spiritus libertatis est. Huic dono spiritus, opponitur consilium humanũ, cuius scopus nõ est Dei gloria, sed hæret in rebus externis, & quærit quę sua sunt. Consilio dono spiritus instructi erant Apostoli, quum principibus sacerdotum præcipientibus, ne docerent in nomine Iesu, responderunt: Oportet magis obedire Deo quàm hominibus. Consilium verò humanum ceperunt ipsi sacerdotum principes, conferentes ad inuicem ac dicentes: Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum factum est signũ omnibus habitantibus Hierusalem, sed ne amplius diuulgetur in populum, cõminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc vlli hominum. sed Gamaliel vtriusque cõsilij vim rectè ac grauiter discreuit: Quoniam (inquit) si est ex hominibus consiliũ hoc, aut opus, dissoluetur: si verò ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne fortè & Deo repugnare videamini. Et Dauid in eandem sententia: Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum, consilium autem Domini manet in æternum.

Psal 33.

Deus non exteriorũ operum sinẽ. sed cor respicit.

Huius domini vis.

Psal. 53.

1. Cor. 13.

2. co. 8. 9

Roma. 8.

2. Cor. 3.

Cõsilium humanum quale.

Acto. 5.

Acto. 4.

Acto. 5.

Psal. 32.

Amb. li. offi. 1. ca. 31. et seq.

FOrtitudo quartũ donũ spiritus est, quo dei respectu, res labentes forti animo cõtemnimus, quo nullis illecebris

emollimur, nullis aduersis pturbamur, quo nõ lucris aut di-
uitiis vincimur, nõ adulatione flectimur, non fauore delini
mur, nullius potentię terrore prosternimur, sed inuictũ ani
mum pro cõuersatione Christianę iustitiæ tenemus, quo ca
sto corde, nullius vanæ gloriæ causa, sed veri Dei amore,
quiduis libẽter perferimus. Quo dono omnia possumus, in
2.Tim.2 eo qui nos confortat. Hoc ergo dono nullum aliud magis
Iob.7. est nobis necessarium, quandiu in hac vita (quæ militia est
2.Tim.3. super terram) degimus. Omnes enim qui volunt piè viuere
in Christo, oportet in hoc mundo persecutionẽ pati. Quin-
imo ex hoc dono fit, ne quispiam verè Christianus, potissi-
mum cognoscitur: nam qualis vniusquisque apud se lateat,
Acto.5 illata contumelia probat. Hoc dono instructi apostoli, ibãt
à conspectu concilij gaudentes, quoniam digni habiti sunt
Fortitudo pro nomine Iesu contumeliam pati. Huic vero dono oppo
humana nitur fortitudo virium humanarum, quatenus sibiipsi fidit.
quæ. Nam prior innititur Dei præsidio, habens semper in ore,
Psal.58 Fortitudinem meam ô Deus, ad te custodiam: Deus refugiũ
Psal.45. nostrũ & virtus: In Deo faciemus virtutem, quia vana salus
Psal.59. hominis. Posterior viribus humanis, potentia multitudinis,
& animi pertinacia cõstat, quæ adeò virtus nõ est, vt potius
vitium sit. Quamobrem apud Deum nullã laudem meren-
Lib.5. de tur fortia illa philosophorum ac Romanorum facta, absq;
ciuitate pietate. Quoniam (vt diuus Augustinus inquit) libertas &
Dei.c.18 cupiditas laudis humanæ, ad facta compulere miranda Ro-
Psal.19. manos. Nos itaque cum Dauid dicere conuenit, Hi in cur-
ribus, & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei no-
stri exultabimus. Non enim Dominus in fortitudine equi
voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei,
Psal.146 sed beneplacitum est Domino super timentes eum.

Gregor. moral. BEne autem consilium & fortitudo iunguntur, quoniam valde inutile est consilium, cui opus fortitudinis deest, & valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur. Non probat Deus constantiam hæreticorũ, aut eorum qui
Matt.27 sibiipsis mortem conscisciunt, quia est sine consilio, qualis &
Matth.13 Iudæ fuit, qui seipsum suspendit. Nec probat consilium eo-
Marci.4. rum, qui quum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: &
Lucæ.8. quia radices non habent, ad tempus credunt, & in tempore
tentationis recedunt. Itaque non qui cœperit, sed qui perse
Matt.24 uerauerit vsque in finem, hic, saluus erit.

Scientia

SCientia quintum donũ ſpiritus ſancti, ab Auguſt. epiſteme, hoc eſt diſciplina vocatur, ſita in elaboratione boni, idque ppter ſummum bonum, Deum, qua prudenter cõueſamur in medio nationis prauæ, ſine noſtro & aliorum ſcandalo. Hæc Sapien. 4. dicitur ſcientia ſanctorum: Iuſtum (inquit) deduxit dñs per vias rectas, & oſtendit illi regnũ Dei, & dedit illi ſcientiã ſanctorum: honeſtauit illum in laboribus. & compleuit labores illius. Et apud Iob legimus: Recedere à malo ſcientia. Sicut ergo ſapientia in cõtemplatione, intellectus in agnitione, cõſiliũ in delibetatione & approbato iudicio, fortitudo in contẽptu rerum labentium, ita ſcientia in opere conſiſtit, cuius finis eſt, declinare à malo & facere bonum: inquirere pacem & perſequi eam: prouidere bona, non tantum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus. Huic oppoſita eſt ſcientia mundana, cuius finis eſt rerum notitia, in oſtentationem ſeu ob queſtum, de qua Paulus dixit: Scientia inflat, charitas autem ædificat. Et Sapiens: Qui addit ſcientiam, addit & laborem. Scientia ergo, quæ donum ſpiritus eſt, charitate ſemper tẽperata eſt. Vnde hoc dono carent, qui inflati ſcientia, traditiones eccleſiaſticas temerè diſſoluunt, in ſcandalum infirmorum, propter quos illæ factæ ſunt, quos grauiter increpat Paulus ad Roma. 14. & 1. Corin. 8. atque alibi quæritur Paulus, Iudæos zelum quidem Dei habere, ſed non ſecundum ſcientiam.

Aug. de ciui. Dei. 14. c. 1.
Philip. 2.
Iob. 28.
Pſal. 33.
2. Cor. 8.
Scientiæ mundanæ finis.
1. Cor. 8.
Eccle. 1.
1. Cor. 8.
Roma. 10

SExtum donum ſpiritus, pietas dicitur. Hoc nomen cõplectitur omnem affectum, cultũ omniáq; officia quæ debemus his vnde vitã accepimus. Sũma ergo pietas debetur Deo, ſecundum quam quidem ſummã ſpeciem, pietas nõ eſt donum à dono ſapientiæ diſtinctum, ſed eſt ipſa ſapientia, quẽadmodum in Iob legimus: Ecce pietas eſt ſapientia, vbi Græcè legimus, θεοσέβεια, id eſt Dei cultus. Sed quatenus diſtinctum donum eſt, ſignificat miſericordiã, ac ſita eſt in affectu hominis prono ad bene merendum de proximo, idque cauſa Dei, vt ſcilicet Dei voluntatem exequatur, & obſequiũ deo præſtet: quia Deo fœneratur, qui miſeretur pximi. Vnde & pietas vulgò accipitur pro operibus miſericordiæ, & pius pro miſericorde. Qui pius eſt, in domino gloriatur, & proximum non niſi in domino diligit. Hæc pietas nobis commendatur. 1. ad Timoth. 4. Exerce teipſum ad pietatem. Nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad

Pietatis nomẽ quid complectatur.
Augu. in enchi. c. 2.
Amb. de vocat. gentium.

Mundus non habet pietatem spiritus.

omnia valet. Hanc pietatem mundus non habet, quamlibet multa pietatis exempla liberorum in parentes, seruorum erga dominos, ciuium erga patriam commemoret, quia nõ sibi tuit finem beneficẽtiæ Deum. Pietas autem Christiana adeò

Mat. 10. Lucæ. 14.

Deum scopum habet, vt Dei causa relinquat patrem, matrẽ, fratres, & sorores, patriam & cognationem, imò impium putet, in causa Dei, parentes Deo præponere. Hoc dono muniti, facilè cõdonamus fratribus, libenter largimur egentibus, subuenimus oppressis, ac alia misericordiæ opera (ad quæ alioqui, nisi spiritu Dei excitati, torpentes sumus) libenter

Huius doni vis.

Matt. 9.

præstamus, quam nobis Christus mirificè commendat. Misericordiam (inquit) volo, & non sacrificium.

Cur scientia et pietas iungãtur.

Neque temerè scientia & pietas iunguntur. Nulla est enim scientia, si vtilitatem pietatis non habeat, & valde inutilis est pietas, si scientia discretione careat, quod Paulus Roma 14. & 1. Corinth. 10. grauissimè ostendit, quemadmodum etiam iamiam declaratum est.

Timor duplex.

SVpere st septimum dõnũ spiritus sancti, timor. Timor duplex est, seruilis ac filialis. Seruilis est, quo perinde atque serui dños timore plagarum metuunt: Deus timetur, ne scilicet mittat in gehennã. hoc timore lex custoditur metu pœnæ, quo qui præditus est, præuaricari mallet, sed à crimine lex timoris cohibet illum, qui veluti tyrannũ & exactorem Deum habet, nõ patrẽ. de quo timore dixit Apostolus: Nõ accepistis spiritum seruitutis iterũ in timore. Et alius Apo-

Roma. 8. 1. Ioan. 4 1. Pet. 1.

stolus: Perfecta charitas foras mittit timorẽ. Timor castus, qui & filialis, & reuerentialis dicit, est timor syncerus, absq; prauo affectu: quo præditi mandata Dei cum quadã reuerentia & ex intimo affectu custodiunt, semper soliciti, ne alicubi offendant, suam salutem in timore ac tremore operantes,

Psal. 127

quos Dauid beatos pnunciat: Beati (inquit) qui timẽt dñm, qui ambulãt in viis eius. De quo timore alibi idẽ Psaltes di-

Psal. 18.

xit: Timor dñi sanctus permanet in seculum seculi. Vtriusque timoris exemplum beatus Augustinus dat, in Psal. 127.

Aug. in Psal. 227

fingit duobus trimoribus similes esse duas vxores: Pone (inquit) aliquam mulierem castã, timentem virum aliam pone adulterã, & ipsa timet virũ. Casta timet, ne discedat vir adul-

Casta coniunx quid timeat: Adultera quid.

tera, ne veniat. Illa timet, quia amat virũ, eius optans præsentiã, cui se castos debere amplexus agnoscit: adulterinos verò concubitus super omnia detestatur, cogitat tãtum vt placeat

ceat viro suo. Hęc timet maritũ, quia adhuc nequitiam amat plus quàm maritum. Proinde grauis est illi mariti præsentia, cui si speraret occultũ fore, adulterium cõmitteret. Illius timor ex mariti reuerẽtia & amore procedit, odit crimẽ, etiam si sciat perpetuò id posse latere: trepidat & ardet, vt officio respõdeat: timet, ne qua macula displiceat viro: metuit ne quid illi mali contingat absenti, cuius præsentia nihil ipsi gratius est, quẽ cupit mente. Huius verò timor ex metu pœnæ proficiscitur, animas iniquitatem, quam cuperet perficere, si eãdem speraret posse lætere. Ad modum igitur castæ & pudicæ fœminæ se habet castus timor erga Deum, qui perpetuò curat, ne offendatur Deus, Dei amore & reuerẽtia honestè agit, amans synceritatem, nequitiam fugiens, cupiens tantum placere Deo, cui cõiungi nunquam nom desiderat, dicens cũ Paulo: Cupio dissolui & esse cum Christo. Seruilis verò longè secus se habet, quòd oderit peccare nõ Dei amore, sed formidine pœnæ, quam à Deo cõminante peccatoribus expectat. Et quanuis hic timor seruilis meritum non habeat, tamen quum Dei iustitiam respicit, ac Deo credit cõminanti prẹparat locũ charitati. Quum enim quis per hunc timorem se à peccato cõtinet, assuescit iustitiæ, & incipit quod durũ erat amari, tũ dulcescit Deus: & quo magis charitas crescit, decrescit timor, donec perfecta charitas penitus foras mittat timorẽ. Est denique timor quidem merè humanus, qui Dei respectum nõ habet, sed tantum, alicuius externi incommodi, quemadmodum timẽt homines, ne damnum, ne orbitas, ne alicuius chari amissio, ne exilium, ne carcer, ne tribulatio, & his similia ipsis obueniant: qui timor quatenus naturalis est, licet defectus potius corruptæ naturæ quàm peccatum sit, tamẽ quum à iustitia deflectit & Dei amori præponitur, damnabilis est, prohibitus à Christo: Nolite (inquit) timere eos qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Et eterum: Nolite soliciti esse de crastino. Orãdum itaque nobis est, vt Dominus timorem seruilem, in nobis extenuet, donec perfecta charitas eum foras mittat. Nam nisi timor Charitate fulciatur, & cæteris donis muniatur, ad nullum opus bonæ actionis surgit.

Castus timor, amori Dei cõiunctus.

Philip. 1.

Augu. in Psal. 127

1. Ioan. 4.

Timor merè humanus quis.

Mat. 10.

Matt. 6.

Grego. 1. mora.

Videʼ Augu. de ser. domini in mõte. li. 2.

QVòd si orationem dominicam diligenter expẽdamus, singulis donis singulæ precationes videntur dicatæ. Timorem castum petimus, quum dicimus: Libera nos à malo.

Fortitudinem precamur, Et ne nos inducas in tentationem. Pietatem, dicentes: & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Scientiam petimus, orantes: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, Consiliũ, quãdo dicimus: Fiat voluntas tua. Intellectum, dicentes: Adueniat regnum tuum. Denique sapientiam, quum dicimus, Sanctificetur nomen tuum.

Cur hoc sacramẽtũ patres Teleten appellent.

Ex prædictis ergo satis supérq; liquet, cur sancti patres hoc sacramentum Teleten, seu sacramentum perfectionis & cõsummationis vocarint.

Cur chrisma conficitur ex oleo oliuæ & balsamo.

JAm ad signorum & rituum expositionem pergemus. Quid chrisma significet, supra diximus, quanquam non temere etiam ex oleo oliuæ & balsamo mixtum conficiatur. Nam oleũ, gratię pinguedinem, splendorem fidei, & ardorem charitatis signat: Balsamum, spiritus suauitatem, qua nos Christus ad se trahit, & cuius communicatione dicimus: Christi bonus odor sumus. Ideo enim confirmamur, vt memineramus nos intrepide fidem confiteri, & bonum odorem factorum ad ædificationem proximi nos circunferre oportere.

2. Cor. 2.

Cur cõfirmãdus signetur cruce in fronte.

SIgnatur verò confirmandus signo crucis in fronte, qui locus est pudoris, vt admoneamur suscepisse signũ Imperatoris nostri Christi, quem omni metu, atque pudore postposito, palàm & vbiq; confiteri debeamus, quemadmodum Paulus dixit: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.

Mat. 10. Marc. 9. Lucæ. 12. Galat. 6.

POst confirmationem, confirmatus alapa cæditur, vt meminerit, se deinceps pro nomine Iesu contumeliam libenter passurum, & percutienti se ad dexteram, sinistram etiam porrecturum.

Act. 5. Matt. 5.

POstremo, post absolutas diuinas orationes & inuocationes quæ fiunt super confirmatos, susceptoribus seu patrinis iniungitur, vt confirmatũ in fide instruant: declinare malum & facere bonum, ac dominicam orationem edoceãt.

Quid susceptoribꝰ iniũgatur.

EFfectus sacramenti satis supérque ex prædictis elicitur, nempe quòd detur ad impartiendum donũ spiritu, quò confirmemur aduersus omnes tentationes carnis, mundi & diaboli, quo in fide roboremur ad confitandum & glorificãdum nomen Domini nostri Iesu Christi, quo denique charitatis augmentum ac perseuerantiam in bonis operibus capiamus. Huius ergo sacramẽti mysterium tota vita rememorandum

randum est, vt recogitet Christianus, se Christi signiferum esse, se Christi arma in fronte portare, se in crucifixo omnia aduersa victurum, se pro desertore habendum, si ab his signis ad aduersarij, nempe diaboli, castra peccando transfugerit: se non coronandum, nisi legitimè certauerit: se denique perdẽdum, nisi ab imperatore suo in omnibus actionibus, tribulationibus & angustiis fideliter steterit. Vix est ergo vlla cerẽmonia in ecclesia, quæ nos in omnibus tentationibus ad constãtiam, perseuerantiã, & patiẽtiam efficacibus corhortetur.

Huius sacramenti mysteriũ tota vita memorandum.

Roman. 8.

1. Ti. 1. 2.

AFfectus accedentis ad participandum hoc sacramẽtum, his erit, vt credat se accepturum spiritũ sanctum, arrabonem salutis. Cõfirmabit autem fidem suam ex locis scripturę suprà allatis, memor verbi Saluatoris, quod Christus ad Apostolos (quorum Episcopi in ecclesia successores sunt) dixit: Sicut me misit viuens pater, & ego mitto vos. Vt enim diuus Ambrosius ait: Non humanum hoc opus, neque ab homine datur, sed inuocatus à sacerdote spiritus à Deo traditur, in quo Dei munus ministerium est sacerdotis.

Quo affectu accedẽdum sit.

Roman. 8.

Ioan. 20.

Amb. de spiritu sãcto libr. 1. cap. 7.

DEnique, minister huius sacramenti Episcopus est. Nam vt in Actis legimus, Philipus diaconus, licet Samaritanos verbo Dei conuerterit, & baptizauerit, non tamen hoc sacramentum ministrauit, sed Apostoli miserunt ad eos Petrum & Ioannem, qui quum descendissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent spiritum sanctum, quod nunc faciunt Episcopi, nimirum Apostolorum successores.

Acto. 8.

Hierony. contra Lucifer.

DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO.

SACRAMENTO Eucharistiæ ecclesia nihil sublimius habet. Quid enim augustius, quàm quòd ecclesia per corporis & sanguinis dominici participationem, etiam iuxta naturam & substantiã vnũ cum Christo efficitur, & quodammodo in Deũ suum transformatur? Quid efficacius ad perfectam, indissolubilémq; concordiam, fouẽdam, quàm quòd ecclesia eodem corpore vescens, eũdem sanguinem bibens, per eundem spiritum in vnum corpus redigitur, & Christo capiti viuo, viua connectitur? Et eatenus hoc sacramentum cæteris sacramentis, tum veteris, tum noui te-

Sacramẽto euchariſtiæ ecclesia nihil habet sublimius